



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Octavo Kalend. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

Marchianense S. Rictrudis, vnà cum S. Eusebia eius pronepte, quam educauerat & in regimine succedentem habuit. Sororem æque Sanctam, nostra Gertrudis habuit, Beggam nomine, Abbatissam Andenensem; à qua nonnulli volunt esse dictas, quas hodie Begginas vocamus. Licet alij à Lamberto Beguio, pio Sacerdote Leodiensi, qui vixit anno 1170. eas deriuent. de qua re, vide Miræum in Chronico Cisterciensi.

Octauo Kalend. Aprilis.

25.
Mart.

Annuntiatio Beatissimæ virginis Dei genitricis
Mariæ.

Vide cap.
11. Apot.
Spir. fol.
78.

Saluberrimum medium, & gratissimum obsequium ad promouendam sibi huius virginis tutelam contra pestem, erit, si frequenter eam hoc die salutemus eximia illa salutatione, qua hodie ab Angelo salutata fuit. Licet enim omni die saluatio angelica ei sit acceptissima; hodie tamen magis quàm aliàs; sic enim gaudium illud magnum quo tunc affecta fuit, ei reficamus, & gratulatorio quasi modo singularem illam prerogatiuam, qua in Matrem Dei est electa, ex parte nostra confirmamus, & ratam ac firmam vouemus. Neque dubitandum quin toties à nobis deuotè salutata, per impetrationem gratiæ resalutabit, & pro tot, *Aue*, vnum nobis dicet infirmis, *Vale*.

Agebatur autem olim in multis Ecclesijs hæc solennitas, 15. Kalend. Januarij, ea nimirum ex causa quod Quadragesimæ tempus (in quam ordinariè incidit) luctui potius & mærori deberetur, vt apparet ex Concil. Laodicensi c. 51. idque Toletana Synodus decima, in Hispania faciendum esse indixit can. 1. quod etiam in alijs Ecclesijs agi consueuisse testatur. atque inde puto remansit consuetudo, vt circa ea tempora, vbique fere in Ecclesijs celebretur hoc mysterium, cum Missa quam vocant, De gulde Misse, id est, Missa Aurea. In Ecclesia verò Toletana vocatur, Festum Commemorationis Dominicæ Annuntiationis, siue, Expectatio partus virginæ, vel, *Neustra Señora de la o*, vt fuse & pulchrè ostendit Illephonsus Giron Dominicanus Presentatus; qui & addit, hac ipsa nocte S. Ildesum Episcopum Toletanum ob susceptam defensionem aduersus hæreticos Dei genitricis

Baron. in
Mart. ad
25. Mart.

In præp.
concion.
festiual.

nitricis virginitatem impugnantes, ab eadem candidissima veste in Ecclesia fuisse donatum. Instituit verò in honorem Virginis Annuntiatæ nouum Ordinem B. Ioanna Ludouici 11. filia, & Ludouici 12. Regum Galliaë repudiata vxor anno 1501. quem iam toto Catholico Belgio feliciter dispersum videmus; habuitque primum hîc Monasterium Bethuniaë in Artesia, ab Isabella principe d'Espinoÿ anno 1517. ædificatum.

Quinto Kalend. Aprilis.

28.
Martij.
Vide in.
cap. 8. †
Apoth.
Spir. fol.
64.

Cabilone in Gallijs S. Guntramni Regis Franciaë, qui spiritualibus actionibus ita se mancipauit, vt relictis sæculi pompis, thesauros suos pauperibus & Ecclesiaë erogaret.

ITa Martyrolog Roman. ex Gregorio Turonensi l. 76. de gloria Martyrum: qui insuper multa sparsim de eo refert, in historia Francorum, vt l. 9. c. 21. & l. 4. c. 24. ex quibus nos quædam superius in Apotheca narrauimus, ac potissimum, quomodo Masfiliam à lue inguinaria largissimis eleëmofynis suis, tamquam rex: tamquam sacerdos verò, indictis publicis rogationibus, alijsque pietatis operibus, liberauerit. tamquam sacerdos, inquam; quia vt benè Constantinus Magnus: *Reges extra fores Ecclesiaë, Episcopi esse debent.* neque enim solùm ciuilem politiam, sed & Ecclesiasticam procurare debêt; atque in hac alios tantum præcedere pietatis operibus, quantum ijsdem præminent dignitatum titulis. nam:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Testimonio nobis erit sola Anglia, quæ ante infaustum illud scisma, sub Henrico Octauo Catholico, Catholica mansit. eo deficiente, defecit ipsa pariter, & in hæresim prolapsa est. Successit postea Maria, Regina pijsissima, & cum hac, denuò auitam Religionem recepit Anglia. qua mortua, veterinosam hereseos, qua se expoliauerat, tunicam reassumpfit, & lotos Christi Sacramentis pedes, rursus coinquinauit. quos vtinam aliquando abluant, eum rogo, qui hodie in Jordane, dum hæc scribo, à Baptista suo dignatus est baptizari. Sanè quid

vnius